AUCTORIS AD LECTOREM

DE INSTITUTO SCRIPTIONIS PRÆFATIO.

PAtior tandem publicam prodire in lucem COLLEGIUM PUFENDORFIANUM, in reconditum Viri ſummi de Officio Hominis & Civis libellum, novennio abhinc & quod excurrit, primum inſtitutum, ac iteratis deinceps, frequentibusque, pro geſti à me muneris ratione, prælectionibus locupletatum. Cauſſas editionis, quod Scriptoribus familiare eſt, prolixè non ediſſero. Rogavit, poſt exterum Mercatorem librarium, Bibliopola è noſtris, uti pagellas colligerem ipſe, ac dum vires animi corporisque permitterent, reviderem: ne alius fortaſſe, me inſcio, dictata, aut è diſcurſibus excepta protruderet, opuſculumque vel mutilaret, vel non facilè emendandis erroribus commacularet. Quod quum nequaquam committendum, atque ab utilitate publica quam longiſſimè abeſſe exiſtimarem; adſurgere Noſtri deſideriis, & quantum ex ſubſecivo tempore, quod exiguum utique habeo, ſupereſſet, ordinando Operi deſtinare decrevi. Quam tamen ejus expolitionem, cum, intercedente modo publicorum commutatione munerum: jam hoſtis in viſcera patriæ graſſantis, muſasque noſtras diſpergentis irruptione facta: modo adflicta, atque ad extrema propemodum collapſa valetudine, ac interveniente, nupero demum anno, do-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 79, [7] - -
PUBLIC DOMAIN